

Apostolus item Paulus hanc eandem nobis insinuans unitatem, obsecrat et hortatur, dicens: Obsecro, inquit, vos fratres, per nomen Domini nostri Iesu Christi, ut id ipsum dicatis omnes, et non sint in vobis schismata. Sitis autem compositi in eodem sensu, et in eadem sententia. Et iterum dicit: Sustinentes invicem in dilectione, satis agentes servare unitatem spiritus in conjunctione pacis. Stare tu et vivere putas posse de ecclesia recedentem? sedes sibi alias et diversa domicilia condentem? Cum dictum sit ad Rahab, in qua praeformabatur Ecclesia: Patrem tuum, et matrem tuam, et fratres tuos, et totam domum patris tui colliges ad te ipsam in domum tuam, et omnis, qui exierit ostium domus tuae foras, reus sibi erit. Item sacramentum Paschae nihil aliud in exodi lege contineat, quam ut agnus, qui in figura Christi occiditur, in domo una edatur. Loquitur Deus, dicens: In domo una comedetur, non ejicietis de domo carnem foras. Caro Christi et Sanctum Domini ejici foras non potest, nec alia ulla credentibus, praeter unam ecclesiam domus est. Hanc domum, hoc unanimitatis hospitium designat et denuntiat Spiritus Sanctus in Psalmis, dicens: Deus, qui inhabitare facit unanimes in domo. In domo Dei, in ecclesia Christi, unanimes habitant, concordes et simplices perseverant.

VII. Idecirco et in columba venit Spiritus Sanctus. Simplex animal et laetum est, non felle amarum, non mortibus saevum, non ungrium laceratione violentum, hospitia humana diligere, unius domus consortium nosse, cum generant, simul filios edere, cum commeant, volatibus invicem cohaerere, communi conversatione vitam suam degere, oris osculo concordiam pacis agnoscere, legem circa omnia unanimitatis implere. Haec est in Ecclesia noscenda simplicitas, haec caritas obtainenda, ut columbas dilectio fraternitatis imitetur, ut mansuetudo et lenitas agnis et ovibus aequetur. Quid facit in pectore christiano luporum feritas, et